

TRACTATUS  
DE CONTRACTIBUS  
AD NORMAM  
JURIS NOVI GALLÆ REDACTUS.

Contractus, a verbo *contraho* sic dictus, definitur : *Conventio qua una persona, vel plures personæ se obligant erga unam vel plures personas ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum.* Cod. civ. art. 1101.

1º Dicitur *conventio*, id est, in unum idemque consenso ex parte contrahentium ; requiritur enim ut utraque pars contrahens in idem conveniat seu consentiat.

2º Dicitur *qua una vel plures personæ erga unam vel plures*, etc., quia contractus debet esse saltem inter duas personas : nemo namque secum contrahere potest. Sed inter plures personas simul existere potest, ut evidens est.

3º Dicitur *qua se obligant*, id est, qua una persona se obligat, vel plures personæ se obligant erga unam vel plures : obligatio aliquando est reciproca, seu ex utraque parte ; aliquando vero ex una parte tantum, ut postea dicemus.

Dicitur *ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum* : hæc verba objectum contractuum designant.

Multipliciter dividitur contractus, nempe 1º in unilateralis et synallagmaticum seu bilateralem. Unilateralis est ille quo unus e contrahentibus erga alterum obligatur, sine ulla obligatione ex parte alterius, v. g., in promissione donationis. Synallagmaticus, ita vocatus a duobus verbis græcis σύν cum, ἀλλάσσω, permuto, ille est in quo uterque contrahens reciprociter obligatur, ut in venditione et locatione.

Synallagmaticus autem duplex est videlicet perfectus et imperfectus. Est perfectus, quando obligatio ex utraque

parte est essentialis, ut in venditione ; est vero imperfectus, quando ex alterutra parte obligatio est duntaxat accidentalis, ut, v. g., in deposito : depositarius tenetur quidem essentialiter depositum reddere ; sed qui depositum commisit, aliquod pretium depositario solvere non tenetur, nisi ex hypothesi quod in eo custodiendo quædam factæ fuerint expensæ.

Dividitur 2º in realem et consensualem. *Realis* ille est qui in sua specie non perficitur, nisi traditione rei de qua convenitur, ut, v. g., depositum, mutuum ; *consensualis* est ille qui solo partium consensu perficitur, sicut nunc venditio, locatio, etc.

Dividitur 3º in onerosum, gratuitum et mixtum. *Onerosus* est ille in quo uterque contrahens obligatur ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum, ut sunt venditio, commutatio, etc. *Gratuitus* ille est quo unus tantum vel plures contrahentium ex pura liberalitate erga alterum ad aliquid se obligant : talis est promissio donationis vel ipsa donatio. *Mixtus* dicitur quando ex parte est gratuitus, et ex parte onerosus, ut, v. g., si bonum notabilis valoris sub onerosa seu levi conditione donetur.

Contractus onerosus duplex est : aliud scilicet commutatorius, et aliud aleatorius. *Commutatorius* ille est in quo uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid æquivalens et certum, sicut in venditione et in commutatione. In quatuor classes hujusmodi contractus dividuntur, et sic ab antiquis exprimebantur : *Do ut des, do ut facias, facio ut facias, facio ut des.* Contractus *aleatorius* est ille in quo æquivalens est spes lucri obtinendi vel damni vitandi ab incerto eventu pendens, ut in ludis, assecrationibus, censibus gallice dictis *rentes viagères*.

Dividitur 4º in principalem et accessorium.

Contractus *principalis* est ille qui in se et independenter ab alia conventione subsistit, ut venditio ; *accessorius* ille est qui ab alia pendet conventione, aut eam supponit : talis est hypotheca.

Dividitur 5º in solemniem et non solemnem. *Solemnis* ille est qui debet fieri secundum quasdam legum formalitatem.

tates ut sunt matrimonii contractus, hypotheca conventionalis et testamenta. *Non solemnis* est ille qui nullas requirit speciales legum formalitates, sed dispositionibus tantum generalibus subjicitur, sicut diversæ venditionum species.

Dividitur 6<sup>o</sup> in purum et non purum. *Purus* ille dicitur cui nulla est conditio annexa; *non purus* ille vocatur qui sub aliqua fit conditione, v. g., donatio alicui facta sub conditione quod talem ducat puellam.

Dividitur 7<sup>o</sup> in nominatum et innominatum. *Nominatus* est ille qui proprium habet nomen, v. g., *venditio*; *innominatus* autem, qui proprio caret nomine, v. g., *facio ut des, do ut facias*.

Dividitur 8<sup>o</sup> in nudum et vestitum. *Nudus* ille est qui nullam in foro externo parit obligationem, sed in conscientia tantum obligat; tales sunt conventiones absque scripto aut sufficientibus testimoniis; tales sunt etiam pactiones in ludis: nullus datur recursus in foro externo contra eum qui perdidit et solvere recusat. *Contractus vestitus* est ille qui in foro civili sicut in foro conscientiae obligat, ut sunt omnes contractus secundum leges initi, et qui coram judicibus probari possunt.

Dividitur 9<sup>o</sup> in formalem seu expressum, et in virtualēm seu tacitum. *Contractus formalis* seu *expressus* dicitur quando conventio fit verbis, scriptis vel aliis signis consensum directe manifestantibus: est vero *virtualis* vel *tacitus*, quando consensus in objectum conventionis existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus et artifex, cum artem suam exercent, promittere censemur se id omne præstitu-ros esse quod homines ejusdem professionis in simili casu præstare solent; et qui eos accersunt vel adhibent, implicite promittunt se id retributuros quod vi legis vel consuetudinis sancitum est. Uterque hujusmodi contractus eamdem habet vim obligandi.

Theologi priorem simpliciter vocant contractum, et posteriorem communiter appellant *quasi-contractum*. Juristæ, e contra, utrumque vocant contractum, unum expressum

et alterum tacitum: nomen autem *quasi-contractus* unice applicant obligationi ex fictione legis nascenti et fundatae naturali æquitate quæ consensum supplet, v. g.: Petro absente, ipsius domum ab incendio cum quibusdam expensis tueor; Petrus, ex quasi-contractu, valorem expensarum mihi refundere debet.

In omni contractu tria a jurisperitis distinguuntur notanda, nempe essentia, natura et accidentalia. Ea dicuntur ad *essentiam* contractus pertinere, sine quibus contractus non existit, vel est contractus alterius speciei, v. g.: ad venditionem tria sunt essentialia, scilicet, *res*, *pretium* et *consensus*; una deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii alia res detur, est commutatio et non venditio. Ea pertinent ad *naturam*, quæ, licet non expressa, ex lege, consuetudine vel æquitate, in contractu comprehensa intelliguntur, et tamen non essentialiter, v. g., assecuratio rei venditæ. Contrahentes hanc conditionem mutuo consensu excludere possent, et nihilominus venditio existeret; sed conventione expressa non interveniente, vendor rem venditam assecurare debet. Ea dicuntur *accidentalia* quæ contractui adjungi possunt, sed ex lege, consuetudine aut æquitate adjecta non intelliguntur, nisi aliqua interveniat conventio specialis, v. g., talis aut talis dilatio solutionis pretii. Vide *Toullier*, t. 6, p. 208 et seq.

Omnis nunc contractus, quicumque sint, sive nominati, sive innominati, regulis generalibus, absque ulla exceptione, subjiciuntur. *Cod. civ. art. 1107.*

Presentem Tractatum in duas partes dividemus: in prima de contractibus in genere et in secunda de contractibus in specie disseremus.

## PARS PRIMA.

### DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Primæ hujus partis quinque erunt capita: 1<sup>um</sup> de consensu ad contrahendum requisito; 2<sup>um</sup> de formalitatibus

et nullitatibus a lege statutis; 3<sup>um</sup> de objecto contractuum, 4<sup>um</sup> de personis quæ contrahere possunt; 5<sup>um</sup> de obligatione contractuum.

## CAPUT PRIMUM.

## DE CONSENSU AD CONTRAHENDUM REQUISITO.

In duplice articulo dicemus 1<sup>o</sup> de dotibus consensu; 2<sup>o</sup> de vitiis quæ consensui nocere possunt.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE DOTIBUS CONSENSUS AD CONTRAHENDUM REQUISITI.

Certum est apud omnes aliquem requiri consensum ad contrahendum: nam, ex definitione, contractus est duorum vel plurium conventio: nulla autem fieri potest conventio absque consensu saltem externo. Ergo.

At non sufficit qualiscumque consensus, sed necesse est ut variis instruatur dotibus, quæ ut pote generales et valde utiles, hic summatim et per ordinem exponendæ sunt, licet quædam de his jam dixerimus in Tractatu de Matrimonio et alibi.

Consensus ergo ad contrahendum requisitus debet esse 1<sup>o</sup> internus, 2<sup>o</sup> externus, 3<sup>o</sup> mutuus, 4<sup>o</sup> actualis, 5<sup>o</sup> plenus.

1<sup>o</sup> *Internus*. Omnes fatentur aliquem necessarium esse consensum et quidem interiorem; nam *consensus actum voluntatis* supponit, et percipi non potest vere existens absque voluntatis adhæsione quæ est ipse consensus. Difficultas vero est an sufficiat voluntas exterius proferendi verba intentionem contrahendi clare exprimentia, dum illa proferens dicit interius: Non contraho, contractum inire nolo, sed fingo, decipere volo.

Plures affirmant hanc voluntatem ad validitatem contractus sufficere. Nam, inquit, qui vult causam, vult effectum: at consensus sic expressus est causa obligatio-

nis, siquidem ex solo consensu illo judicatur, non vero de consensu in voluntate abscondito. Aliunde, nisi principium istud admitteretur, omnes contractus essent dubii, quia de existentia consensu interni certo constare non potest.

Alii vero communius et longe probabilius contendunt necessarium esse consensum interiorem stricto sensu ad validitatem contractus. Contractus enim est conventio; conventio autem existere non potest sine consensu voluntatum, id est sine interiori utriusque contrahentis adhæsione. In jure Romano contractus definiebatur *Duorum vel plurium in idem placitum*, etc. Vox autem *placitum* internum manifeste designat consensum. Ergo antiquis legislatis persuasum erat interiorem necessarium esse consensum. Insuper jus quod per contractum transmittitur, a voluntate pendet: ergo per solam voluntatem transmitti potest.

*Ad rationes prioris sententiae sic responderi potest:*  
1<sup>o</sup> Solus exterior consensus obligationem civilem facit, quia de illo tantum judicare possunt homines: at inde falso concluditur internum consensum ad validitatem contractus, pro foro conscientiae, necessarium non esse.  
2<sup>o</sup> Ex sententia nostra non sequitur omnes contractus dubios esse: libere enim contrahentes interius consentire solent, et hoc sufficit ad securitatem. Præterea, nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse, nisi veram esse suam assertionem clare manifestet, quod eviderter præstare non potest, quando exterius libere contraxit. Ergo. Hæc igitur nullius est momenti quoad proxim. Qui re ipsa exterius serio contraxisset, interius non consentiendo, alteri fecisset injuriam, quam teneretur reparare consentiendo.

Hinc contrahentes obligationem sibi imponere vel acceptare, gravem aut levem, juxta gravitatem materiæ voluisse censentur, quia hæc voluntas ad essentiam contractus pertinet. Si quod exsurget dubium de existentia voluntatis se obligandi, expendendum est an contrahens nihilominus contraxisset, si novisset obligationem ex pacto

orituram esse, an non. In priori casu judicandum est voluntatem se obligandi exstisset et valere pactum; in posteriori vero aliter pronuntiandum foret.

Notandum adhuc voluntatem se obligandi stare posse cum proposito contractum non adimplendi, et propositum istud validitati contractus non nocere.

2º *Externus.* Consensus dicitur externus quando signis sensibilibus ad extra manifestatur: talis autem, ad validitatem contractus, requiritur consensus, tum quia secus dominia forent incerta, tum quia nullus credit se obligare, quantumvis firma sit ejus voluntas, nisi eam exterius sufficienter exprimat. Necessè est ergo ut unus saltem conventionem exterius proponat. An autem pariter necessè sit ut alter exterius manifestet se consentire vel acceptare, non ita omnes admittunt. Sententia affirmans communiter tamen tenetur: si enim, uno proponente, alter nihil exterius manifestet, jus ipsius manebit dubium. Attamen in variis circumstantiis silentium est signum sufficiens acceptationis, v. g., si quis accepta re grata ab amico missa, eam nihil dicens retinet.

Varia sunt signa quibus sufficienter exprimi potest consensus: jure naturali qualiacumque sufficiunt, etiam simplices nutus, modo ex eis innotescat voluntatem assentire. At jus civile plura et diversa statuit pro diversis contractibus. Sic 1º aliquando sola requiruntur verba, ut in venditionibus, donationibus de manu ad manum, etc. 2º Aliquando scriptum necessario requiritur, ut in hypotheca. 3º In nonnullis contractibus traditio rei, de qua conventum est, necessaria est ut contractus sit in genere suo perfectus: sic mutuum, commodatum, pignus, depositum, non perficiuntur nisi traditione rei; ante traditionem existit tantum mutui, commodati, etc., promissio. 4º In contractibus pro quibus lex positiva speciales non prescrispsit formalitates, non requiruntur signa determinata: sola contrahentium voluntas obligationem producit. Si conventione juridice probari possit, valet in foro externo; secus, nulla est in foro externo; sed in utroque casu conscientiam tenet obstrictam.

Multa numerantur signa quibus obligationis existentia juridice probari potest, scilicet scriptum authenticum, scriptum privatum inter partes (*sous seing privé*), depositio testium, præscriptio, debitoris confessio, juramentum. Admittuntur etiam scripta sine chirographo, gallice, ut melius intelligatur: « Les écrits sans signature : tels sont » les livres des marchands, les écrits domestiques, comme » les registres ou mémoires pour son propre usage. Il y a » encore des titres qu'on appelle *récognitifs* ou *confirmatifs*; ce sont ceux par lesquels on reconnaît et l'on confirme telle ou telle obligation, ou le titre qui la constitue. » Les copies des titres primordiaux ou *récognitifs* sont aussi des moyens de preuve devant les tribunaux, mais ne dispensent pas d'exhiber les titres mêmes, s'ils existent. Il y a encore un moyen de preuve dont on peut faire usage et qu'on appelle *la taille*: c'est un morceau de bois fendu en deux; chacune des parties contractantes conserve l'un des morceaux, et à chaque nouvelle fourniture, on fait une coche sur les deux morceaux en même temps. Cette manière d'exprimer l'obligation est en usage chez les boulangers. »

Depositio testium non admittitur nisi agatur de summa quæ 150 fr. non excedat. *Cod. civ. art. 1341.* Ubi tamen quoddam existit probationis initium per scripta, vel si constat creditorem testimonium scriptum habere non potuisse, ut sunt ordinarie viatores, qui bona secum asportata in diversoriis deponunt, probatio per testes admittitur.

Cæterum, cum hæc signa sint tantum media quibus existentia contractus in foro externo probari queat, de illis longius hic discurrere non expedit. Unusquisque legat, si velit, Codicem civilem ab art. 1315 ad 1369.

3º *Mutuus.* Nemo per se jus suum amittit vel alienum acquirit, nisi velit: necessè est ergo ut consensus ab uno datus, ab altero sit acceptus, ac proinde ut sit mutuus. Unde non sufficit ut consensus unius alteri innotescat, sed debet ei intimari, id est manifestari ex intentione propONENTIS, et ab altero sic acceptari; alioquin non esset consensus in idem *placitum*.

Quamdiu igitur consensus datus non fuit acceptatus, contractus non est firmatus, et consensus valide revocari potest, licet non semper sine peccato nec sine obligatione reparandi damna inde provenientia; et hoc verum est etiamsi agatur de remissione debiti, nisi forsitan creditor expresse declarasset se velle omne jus absolute abjiecare, ut explicat DD. *Gousset*, in art. 1282. Disputatur an vicissim necesse sit consensum acceptantis proponenti intimari. Communiter negatur pro casibus ordinariis, quia statim ac intentio unius alteri fuit intimata et ab eo exterius acceptata, utriusque consensus in idem placitum concurrit, quod videtur sufficiens ut vinculum obligationis existat.

Diximus pro casibus ordinariis, quia aliter contingere potest, sive ex dispositionibus legis, ut dicemus de donationibus, sive ex speciali voluntate contrahentium.

4º *Actualis*. Hic in memoriam revocanda sunt quae in Tractatu de *Sacramentis in genere* diximus de intentione actuali, virtuali, habituali et interpretativa. Eodem fere modo concipitur ad contrahendum non sufficere consensum datum ex intentione interpretativa vel habituali: datum vero ex intentione virtuali sufficere; ita enim generatim apprehendunt homines, et communiter intentionis actualis diu perseverant non sunt capaces. Consensus igitur mere præsumptus, qui revera defuit, non sufficit; sufficit vero consensus tacitus realiter existens.

Consensus ex sufficienti intentione datus, indefinite perseverat, nisi aliquo modo revocetur: quotidie enim ineuntur contractus inter absentes et post longum temporis spatium ab expresso consensu; ergo supponitur consensum perseverare. Si autem consensus per aliquod tempus perseveret, non est ratio, ex rei natura, cur ad tale vel tale tempus limitetur. Ergo, etc.

5º *Plenus*. Communiter apprehendunt homines et docent theologi ad valide contrahendum, ex parte intellectus, eam requiri advertentiam quae ad peccandum mortaliter necessaria est. Quod spectat ad voluntatem, distinguunt inter contractus onerosos et contractus gratuitos. Dicunt ad contractus onerosos eam pariter requiri et sufficere li-

bertatem quae requiritur et sufficit ad peccandum mortaliter: ad contractus vero gratuitos, qui a benevolentia procedere debent, et in quibus accipiens non dat aequivalens, requirunt consensum non tantum liberum, sed spontaneum, id est qui procedat a voluntate sine ulla rationabili repugnantia. Hoc ex dicendis in sequenti articulo magis elucidabitur.

### ARTICULUS SECUNDUS.

#### DE VITIIS QUAE CONSENSUI NOCERE POSSUNT.

Quatuor numerantur vitia quae plus minusve consensum laedere possunt, nempe error, dolus, vis seu metus, et laesio. De his in tot sectionibus dicendum est.

#### SECTIO PRIMA. — De errore.

Error generatim est estimatio unius pro altero. Versari potest vel circa objecti naturam, v. g., si quis emat vitrum credens esse gemmam; vel circa naturam contractus, v. g., si quis domum intendat locare et alter emere credit; vel circa qualitates rei, ut si quis equum tardum emat, putans esse velocem; vel circa pretii quotitatem, in contractibus onerosis, ut si quis putet emere 1,000 fr. quod alter credit vendere 2,000 fr.; vel circa personam, ut si quis nummum aureum Petro dare intendat et donet Paulo; vel denique circa motivum, quod triplex distingui potest, scilicet *impulsivum*, sine quo contractus fuisset initus, sed minus libenter; *determinans*, sine quo contractus initus non fuisset, v. g., falso credens equum meum interisse, alterum emo; et *finale*, quod est finis contractus, v. g., persuasum habens, sine reali fundamento, patrem meum 100 fr. legasse Petro, eos solvo.

Error in genere est *substantialis* vel *accidentalis*. Dicitur *substantialis* quando substantialiam contractus, sive in genere sive in specie, afficit: dicitur vero *accidentalis* quando in mera contractus accidentia cadit.

Ab omnibus, tum doctis, tum indoctis, generaliter admittitur errorem *substantiale* omnino irritare contrac-

tum ; talis quippe error consensum penitus destruit, id est impedit quin contraheentes in idem consentiant : contra vero, cum error mere accidentalis non impedit quin contrahentes in idem quoad substantiam consentiant, validitati contractus non officit. Sic ipse statuit Codex civilis, art. 1109 et 1110. Attamen, juxta sententiam communem, error accidentalis quandoque contractus gratuitos irritat : contractus enim gratuiti a spontanea voluntate procedere debent, et donatarius recte conqueri non potest si frustatur re indebita, quæ non nisi cum repugnantia sibi datur.

Hoc autem principium recte, pro diversitate contractuum et rerum circa quas error versari potest, applicare non est facile, nec eodem modo ab omnibus æqualiter judicatur. Ante omnia necesse est ut discernatur quando error est substantialis, et quando reputandus est accidentalis : ad hoc faciendum sequentes inservire possunt regulae.

1º Illud habendum est ut substantiale, cui utraque vel alterutra pars suum stricte alligat consensum : hoc autem dignoscitur tum ex verbis, tum ex consuetudine, tum ex variis circumstantiis. Si vero hæc conditio manserit mere interna, applicanda sunt quæ supra diximus ubi de consensu factio.

2º Illud censendum est substantiale, cuius defectus rem facit ad finem intentum inutilem : homines enim non contrahunt nisi ut inde varias percipient utilitates.

3º Illud habendum est ut substantiale, cuius defectus tollit omne motivum rationabile agendi; nam homines supponi non possunt agere sine rationabili motivo. Hinc variae prodierunt decisiones pro variis casibus, ut sequitur :

1º Error circa speciem contractus, circa naturam objecti, et, si notabilis sit, circa pretii quotitatem, omnem irritat contractum : patet ex dictis.

2º Error circa rei qualitates quemlibet irritat contractum, quando consensus non præbetur nisi sub expressa vel saltem sub implicita conditione quod res talis sit qualitas : tunc enim re ipsa non adest consensus, si conditio non existat. Hinc qui jussu medici vinum Rhenarium

petit, non consentit in vinum Campanum sibi exhibitum. Si, e contra, qualitas rei nec expresse, nec ex circumstantiis aut ex communi hominum aestimatione habetur ut conditio sine qua non, contractum saltem onerosum non irritat, siquidem, non obstante isto errore, remanet consensus in rem ipsam. Unde qui apud bibliopolam emit librum quem estimat bonum, et postea deprehendit malum, nihilominus valide contraxit quia presentem librum absque restrictione voluit emere : sic pariter qui putat ducere uxorem pulchram, castam, nobilem, divitem quæ revera talis non est, validum tamen init matrimonium.

Diximus saltem onerosum, quia, cum, ex dictis, consensus in contractum gratuitum plenus esse debeat, si re ipsa error circa qualitates accidentales consensum determinasset, contractus esset nullus aut daretur locus rescissioni : nec in eo casu donatarius, frustratus re sibi non debita, merito conqueri posset.

3º In contractibus onerosis error circa personam ordinarie, excepto matrimonio, non irritat contractum. Ratio est quia, ut plurimum, consideratio personæ, in hujusmodi contractibus, est indifferens. Quod equum præsentem a Petro vel a Paulo emas, quid refert? Attamen si, per exceptionem, consideratio personæ substantiali contractus afficeret, illum irritaret, v. g. : credis emere tabellam a celebri pictore, puta a Raphaële depictam, et erras ; emptio est nulla, nisi consensus tuus re ipsa ceciderit in objectum præsens a te hujusmodi rerum amatorem aestimatum præcipue ob qualitates quas in eo apprehendis.

In contractibus vero gratuitis, cum respectus personæ sit præcipua ratio determinans, in substantiali contractus redundat eumque irritat, ut patet. Si quandoque tamen hæc consideratio in mente donantis fuisset tantum accessoria, error validitati contractus non officeret, v. g. : dans elemosynam pauperi præsenti, quem falso credis esse Petrum, cum sit Jacobus vere pauper, cui etiam donasses, sed non tam libenter, valet donatio.

4º Error circa motivum finale quemlibet irritat contractum ; nam consensus a tali motivo substantialiter pendet,

et motivo non existente, jam realiter non datur consensus. Eo sensu Codex civilis declarat, art. 1131, obligationem sine causa esse nullam. Error, e contra, circa motivum simpliciter impulsivum nullum irritat contractum, ut omnes fatentur, quia revera existit consensus. Error vero circa motivum determinans, quatenus a motivo finali distinguitur, onerosum non irritat contractum, quia consensus substantialiter existit et datur ratio rem de qua conventum est ex utraque parte tradendi. Irritat vero contractus gratuitos, ob defectum *spontaneitatis*. Vide DD. *Gousset* in art. 1110.

Quamvis contractus cum errore initus in variis casibus sit nullus, nemo propria auctoritate ab illo resilire potest: expresse enim declaratur in Codice civ., art. 1117, talem contractum esse tantum rescindibilem. Illius ergo rescissio coram judicibus petenda et ab eis obtinenda est. Attamen, si probationes sufficietes juridice subministrari non possint, et nullitas sit certa, non existit obligatio pro conscientia conventionem adimplendi. Imo non videmus cur deceptus, qui solus habet jus rescissionem prosequendi, onera litis ultiro suscipere teneretur. Potest ergo, nullitate supposita certa, conventioni suae non stare et exspectare quid altera pars facere voluerit. *A fortiori* contrahentes possent, tuta conscientia, ex mutuo consensu habere contractum sic initum ut non existentem.

#### SECTIO SECUNDA.— De dolo.

Dolus est calliditas, fallacia, aut quæcumque alia machinatio ad alterum in errorem conjiciendum adhibita, ut inducatur in contractum sibi damnosum. Contractus igitur ex dolo initus est nullus in omnibus casibus in quibus ex errore factus esset nullus. Ratio enim est eadem, scilicet defectus consensus.

In cæteris autem casibus, in quibus contractus ex errore initus est validus, valet pariter contractus ex dolo peractus, modo aliæ reperiantur conditions ad valide contrahendum requisitæ; sufficiens enim præbetur consensus, et

aliunde jus positivum hujusmodi contractum non irritat. Ergo.

Sed quandoque ille contractus est rescindibilis, quandoque vero deceptus habet jus petendi reparationem damni per dolum sibi illati. Est rescindibilis quoties, secluso dolo, non fuisse initus; idque tum jure civili, ex art. 1116 et 1117, tum jure naturali; unusquisque enim habet jus naturale deliberandi, examinandi, varia pensandi motiva antequam contrahat: qui ergo dolo erga eum utitur ut consensum ejus obtineat, illi facit injuriam quam ex iustitia tenetur etiam ante sententiam judicis reparare: eam autem convenienter reparare non potest, nisi plenam illi reddendo libertatem. Ergo talis contractus rescindibilis est ad nutum partis læsæ.

Ex eadem ratione patet decipientem non habere jus a contractu resiliendi.

Quando autem injuria aliter quam per rescissionem reparari potest, deceptus habet tantum jus exigendi ut damnum quod passus est sibi resarcietur.

Si dolus a tertio inferatur, absque participatione contrahentis, contrahens non tenetur consentire rescissioni, nec damnum illatum reparare, modo servetur æqualitas, sicut in omni alio contractu oneroso. Art. 1116.

Decipiens autem, quicunque sit, semper tenetur in conscientia omnia compensare damna ex ipsius machinatione provenientia, siquidem omnia ei tribuenda sunt.

#### SECTIO TERTIA.— De vi et metu.

Vis est motio a principio extrinseco contra voluntatis inclinationem nobis impressa. Metus est trepidatio mentis ob malum imminens. Duo igitur importat, nempe periculum mali et trepidationem mentis. Multiplex distinguitur, scilicet:

<sup>1º</sup> Alius est gravis et alius levis: gravis est ille qui timetur malum grave et probabiliter imminens, v. g., mors, mutilatio, incarceratio, bonorum amissio; levis ille est quo timetur malum leve, aut grave sed improbabile.

2º Metus iterum potest esse gravis absolute vel respectiva : est gravis absolute, quando in quocumque virum fortem cadere potest, ut metus mortis et incarcerationis diuturnæ ; respective gravis ille dicitur quo movetur puer, mulier, aut vir meticulosus , et quo vir fortis et constans minime afficeretur. Sic metus quorundam baculi ictuum potest esse gravis respectu puellæ , et levissimus respectu militis assuefacti bellis.

3º Metus oriri potest a principio intrinseco, vel a principio extrinseco. Oritur a principio intrinseco, quando procedit a causa intrinseca ei qui timore movetur, v. g., a morbo; est autem a principio extrinseco, quando excitatur a causa extrinseca ei qui timore percellitur.

4º Metus a principio extrinseco duplaci modo incuti potest, videlicet a causa necessaria, v. g., naufragio, et a causa libera, id est, ab homine.

5º Metus a causa libera proveniens duplicem ob rationem incuti potest : ob rationem justam, cum ille per quem incutitur legitimam habet potestatem inferendi malum quod minatur, v. g., si judex minis reum cogat ad confitenda crimina de quibus fere est convictus, vel ad complices revelandos : incutitur autem ob rationem injustam, quando ille qui malum minatur, legitimam non habet potestatem illud infligendi, ut si latro in via mortem viatori minitet nisi crumenam ipsi tradat.

6º Metus denique incuti potest vel directe ad obtinendum contractum, vel ad alium finem a contractu distinctum, v. g., ad ulciscendam injuriam : quibus positis,

*Certum est* 1º metum ex omni parte levem, id est ratione tum mali formidati, tum trepidationis mentis, contractum per se non irritare; consensum enim non destruit. Multi tamen notant quandoque fieri posse ut metus etiam levis det causam contractui : tunc reddit contractum saltem rescindibilem. In foro externo, ubi malum leve est, metus semper reputatur levis et nullam dat actionem adversus contractum.

*Certum est* 2º metum gravem prorsus dirimere contractum, si huc usque veniat ut rationis usum tollat, vel inca-

pacem peccandi mortaliter reddat, cum tunc sufficiens consensus præberi nequeat.

*Certum est* 3º metum gravem a causa intrinseca, aut a causa extrinseca, sed necessaria, incussum, quo stante homo remanet sui compos, contractum non dirimere; non tollit enim libertatem, nec ullam insert injuriam ei qui propter hujusmodi metum ad contractum sese determinat.

*Certum est* 4º metum a causa libera et extrinseca, sed justa, incussum, non irritare contractum; non impedit enim quin verus præbeatur consensus, et qui propter hunc metum agit, conqueri non potest injuriam sibi inferri. Unde qui metu alicujus mali ducit puellam quam sub promissione matrimonii defloravit, valide contrahit.

*Certum est* 5º apud auctores communiter metum gravem a causa injusta incussum contractus gratuitos semper irritare : talis quippe metus impedit quin consensus procedat ex perfecto voluntario ad actus liberalitatis requisito.

6º Metus a causa extrinseca, libera et injusta incussum, sed ob finem a contractu diversum, contractum non dirimit; nam si illum dirimeret, vel propter defectum libertatis requisitæ, vel propter injustitiam : atqui neutrum dici potest; non propter defectum libertatis, cum usus rationis non tollatur; non propter injustitiam, siquidem metus, ut supponitur, in ordine ad contractum non fuit incussum : contrahens igitur proprio motu sese determinavit. Unde aliquis grave malum injuste tibi inferre paratus est; equum tuum quem cupit, de quo tamen non loquitur, vendere illi proponis et de pretio æquivalenti convenitis; valet contractus.

An antem contractus tunc sit rescindibilis, non sibi consentiunt auctores. Probabilior videtur sententia affirmans, saltem si metus ab altero contrahente incutiatur : qui enim metum injuste incutit injuriam facit; hanc injuriam reparare debet; illam vero convenienter reparare non potest, nisi perfectam reddendo libertatem ei qui metu fuit determinatus. Ergo.

Si metus a tertia persona fuerit incussum, res maxime

pendet a circumstantiis ex quibus judicandum est an contrahens fructum ex injustitia percepturus sit, an non.

At si contractus haberet pro objecto cessationem ab injusta vexatione, jure naturali esset nullus; in contractibus enim onerosis aliquid pretio estimabile ex utraque parte dari debet: atqui cessatio ab injusta vexatione non est pretio estimabilis ex parte vexantis, qui certe hanc cessationem vendere non potest. Ergo quidquid accepisset, ex justitia reddere teneretur. Ita *Collet*, conc. 4 de Metu; *Billuart*, ibid. et communiter theologi.

Hinc latro mortem ex ira viatori parat, nihil ab illo postulans; viator, timore perculsus, summam pecuniae illi promittit ut ab ejus manibus sese eripiat, contractus est nullus. At si viator oppressus transeuntes advocaverit, et pecuniam illis promiserit ut ipsum a periculo liberarent, valet promissio; dant enim aliquid pretio estimabile, nempe auxilium quod praebent. Ita *Puffendorf*, l. 3, cap. 6, § 11; *Pothier*, P. *Antoine*, *Collet*, *Th. Cenom.*

7º Quæstio superest an metus gravis a causa injusta ad extorquendum consensum in contractum incussus, illum efficiat jure naturali nullum; non conveniunt inter se doctores. Plures enim volunt omnes hujusmodi contractus esse jure naturali validos; nam verus non deest consensus, *voluntas coacta est voluntas*: sunt verba juris Romanii. Ergo. Ita *Grotius*, lib. 2, c. 9. Juxta hunc auctorem, contractus ex gravi metu initus, est jure civilis tantum rescindibilis. Alii autem contendunt hos contractus jure naturali esse irritos, quia injuste ad id cogeremur faciendum quod a libera electione nostra pendet. Ergo. *Puffendorf*, lib. 3, cap. 6, § 11; *Barbeyrac*, ibid.; *Pothier*, n. 123, et plures alii. Omnes fatentur hujusmodi contractus esse jure naturali rescindibiles.

Alii denique distinguunt inter contractus qui habent pro objecto solam ab injusta vexatione cessationem, et alios in quibus aliquid pretio estimabile utrinque datur et accipitur. Dicunt priores esse nullos, et posteriores esse jure naturali validos, sed rescindibiles. Hæc opinio probabilior nobis videtur, et sic probatur.

1º Contractus qui habent tantum pro objecto solam ab injusta vexatione cessationem, sunt jure naturali nulli: *pater ex modo dictis*.

2º Contractus in quibus aliquid pretio estimabile utrinque datur et accipitur, sunt validi; si enim essent nulli, vel defectu materiae sufficientis, vel defectu consensus requisiti: atqui neutrum dici potest. Non defectu materiae sufficientis, cum ex hypothesi aliquid pretio estimabile utrinque detur et accipiatur; non defectu consensus requisi, siquidem contrahens remanet sui compos. Ergo.

Verum hæc opinio quoad proxim a præcedenti non discrepat; qui enim per metum injuste incussum ad contrariendum sic fuit adductus, veram passus est injuriam, illiusque sufficientem reparationem stricte exigere potest: atqui sufficienter illa injuria non reparatur, nisi perfecta contrahenti reddatur libertas: porro si perfecta ei debeatur libertas a contractu resiliendi, ipse contra justitiam non peccabit resiliendo. Ergo, re adhuc integra, promissione suæ stare non tenetur. Si vero contractus per traditionem rei sit consummatus, illius rescissionem coram iudicibus postulare potest; idque verum est, sive metus ab altero contrahente incusus fuerit, sive ab alio tertio; sive malum quod timetur contrahenti immineat, sive ejus conjugi, descendantibus, aut ascendantibus. *Cod. art. 1111, 1112, 1113*. Imo si malum aliis propinquis vel amicitia conjunctis immineat, ita ut trepidationem mentis in contrahente pariat, eumque ad contrahendum inducat, jure naturali, ac proinde in conscientia, rescindibilis est contractus. Idem dicendum est si malum immineat, non quidem personis, sed earum fortunæ, ut supponit articulus 1112 Codicis.

Metus reverentialis, sic dictus ob reverentiam quibusdam personis, patri, v. g., vel matri debitam, per se contractum non reddit vitiosum, ne quidem efficit ut rescindi queat, *Cod. civ. art. 1114*; secus, si cum verberibus aut aliis violentiae signis jungeretur; fieret enim tunc metus gravis.

Ita quidem lex pro foro externo statuit. At in foro in-

terno, si metus reverentialis multum moveat mentem, etiam absque verberibus et violentiae actibus, reducitur ad metum gravem et ei applicanda sunt quæ diximus de metu gravi quoad conscientiam. Codex civilis hoc aliquatenus supponit articulo 1112 jam citato, dicendo rationem habendam esse ætatis, sexus et conditionis.

Cæterum, qui per metum injustum, sive gravem, sive levem, cuius auctor vel particeps fuit, aliquem in contractum adduxit, tenetur in conscientia et ante judicis sententiam totum resarcire damnum quod illi intulit; quisquis enim tenetur reparare injuriam cuius est auctor.

Cum autem ille contractus jure naturali sit validus, præter quosdam casus a nobis assignatos, sed tantum rescindibilis, sequitur eum solum rescissionem petere posse, qui propter metum contraxit, siquidem solus injuriam passus est: si ergo contractui stare velit, alter in foro externo resilire non potest, nec etiam in foro interno, sive particeps fuerit metus, sive non.

SECTIO QUARTA.— De læsione.

Læsio in eo consistit quod in contractibus onerosis æqualitas non servetur, sed plus accipiatur quam tradatur, sive id fiat ex errore, sive ex dolo.

Simplex læsio contractum non reddit jure naturali nullum, siquidem verus præstatur consensus; nec rescindibilem, siquidem, ut supponitur, nulla fuit injuria, sed tantum defuit æqualitas, quæ absque rescissione restituiri potest. Qui ergo plus accepit quam dedit, excessum restituere debet, et insuper, si læsio ex dolo proveniat, totum tenetur reparare damnum inde secutum: quod quidem verum est de quibusvis contractibus et personis, etiam de minoribus.

*Observandum est* autem justum rerum pretium non consistere in aliquo punto mathematice determinato, sed varios suscipere gradus ex prudentium hominum judicio æstimandos, habita scilicet ratione circumstantiarum, temporum, penuria vel abundantiae rerum aut pecuniae;

emptorum et vendentium. Dum pretium inter hujusmodi gradus sistitur, læsio adesse non judicatur: hinc infimo pretio emere et summo vendere licet.

Ex jure civili in nonnullis contractibus, et erga quasdam personas, læsio est causa sufficiens cur rescissio peti ac obtineri valeat. *Cod. civ. art. 1118.*

Sic 1º læsio quartam excedens partem in partitione hæreditatis, communitatis conjugalis, aut societatis commercialis, nisi alter velit læso solvere supplementum suæ partis et damna compensare. *Art. 887, 1476, 1872 et 891.*

Sic 2º in venditione boni immobilis, quod alienari potest absque auctoritate judicis, læsio excedens septem partes ex duodecim dat locum rescissioni in favorem solius venditoris, nisi emptor solvat supplementum justi pretii sub deductione decimæ partis pretii totalis. *Art. 1674, 1683 et 1684.*

Rescissio nunquam conceditur propter læsionem in bonis mobilibus, et quidem merito; cum enim hæc bona multiplicitate de manu ad manum transeant, valde interest ut eorum venditiones sint firmæ et rescindi nequeant, ne plurimis turbationibus detur locus. In foro interno si æquitas naturalis læsa fuerit, reparanda erit. Idem dicendum est in variis conventionibus quas lex excipit, v. g., art. 889, 1706, 2052.

Sic 3º quæcumque læsio etiam levissima sufficit ut minores rescissionem obtainere possint. *Cod. civ. art. 1304.* Si sint emancipati, in actibus ad quos inhabiles sunt, æquiparantur minoribus non emancipatis; in aliis vero, majoribus. Facultas autem rescissionem ob læsionem pendi per decem existit annos, nisi aliter statuatur. *Cod. art. 1404.* Variæ sunt exceptiones sub diversis titulis expressæ.